

HISTORIARUM INDICARUM LIBER UNDECIMUS.

DUM hæc a minoribus præfectis geruntur, ne ipsi quidem Nonnio Prætori fuit otiosa provincia. Is ingentem nactus navalem apparatus, quem decedens Lupus Vafæus partim Goæ, partim Cocini reliquerat; Ad expeditionem Diefem, quam Lusitani dudum coquebant, animum adjecit. ac primum idoneos homines, magnis præmiis invitatos, mercatorum specie Dium ex urbe Goa præmisit: qui cuncta probe cognoscerent; ac Lusitanas vires augendo verbis, Tocanem dynastam, Sacæ demortui fratrem, ad vitanda certamina, & componendam quavis conditione pacem impellerent; ac demum appropinquanti sibi omnia explorata clam ex urbe renuntiarent. In horum opera & fide, quam multis rebus perspectam habebat, magnam rei perficiendæ spem collocaveret Nonnius. Dein, fatis provisus omnibus, quæ ad rem pertinebant, diem ad conveniendum nauticis omnibus Ciaulum edixit. Ab Ciaulo profectus cum ornatissimis navibus variæ formæ trecentis, in quibus erant Lusitanorum tria millia, Malabarium totidem, & Canarini bis mille; Damanum oppidum oræ Cambaicæ processit, metu desertum ab incolis. Ibi, solenni peracto sacrificio, Antonius Petronius Franciscanus, pro concione cunctos ad obeunda fortiter militiæ munera, pellendosque ex urbe Dio nefarios Christiani nominis hostes, Mahometanæ sectæ cultores, hortatus est. Ab Damano classis, præciso Cambaico sinu, Betelem tenuit. Hoc nomine insula est, perexiguo circuitu leucæ ferme unius, angusto admodum freto a continenti disjuncta, difficili accessu, pæne undique septa præruptis haud modicæ altitudinis rupibus. Ea, quod leucarum octo non amplius trajectu peropportune imminet in urbem Dium, & circumdato muro inexpugnabilis reddi facile poterat; ad eum locum muniendum paulo ante Cambaiæ Rex quendam e suis præfectis, Turcam natione, cum duobus millibus armatorum, & structoribus operisque circiter mille transmiserat. Sed nondum eo pervenerat opus, ut arceri munimento externa vis posset: ac proinde repentino tantæ classis adventu perterriti milites, & præter cæteras difficultates etiam navigiis ad transmittendum, vel accersenda e propinquo auxilia destituti; consilio habito, de arce honestis conditionibus tradenda consentiunt. Dux ipse, quo plus auctoritatis inesset legationi, accepta fide, ad colloquium prodiit. Petebat, uti sibi cæterisque insula excedere, suaque secum exportare tuto liceret. Cui Prætor, insolito ferox apparatu, & avidus rei gerendæ, ipsi quidem id petenti dare se dixit: cum reliquis, nisi permittentibus omnia, negavit ullam pacis conditionem esse. Hoc tam triste

Nulla

LII 2

respon-